



Disputatio politica de subditis septimi gradus, hoc est, agricolis & pastoribus

<https://hdl.handle.net/1874/340908>

DISPUTATIO POLITICA,
 D E
 SUBDITIS SEPTIMI
 G R A D U S,
 H O C E S T,
 AGRICOLIS & PASTORIBUS.

Q V A M

Fayente Deo Opt. Max.

S U B P R A E S I D I O

Clarissimi Doctissimique Viri,

D. DANIELIS BERCKRIN GERL
 Lib. Art. Magist. & Philosophiae Practicæ atque
 Eloquentiæ in Almâ Ultrajectinâ Professoris,

Publicè defendere conabitur,

JOHANNES ab EWYCK, Ultrajectinus.

Ad diem 22 Iunii, horâ 8 matutinâ.



U L T R A J E C T I,
 Ex Officina JOANNIS à WAE SBERGE,
 Anno M DC XLIX.

Reverendo, Spectabili, ac Prudenti Viro,

D. HERMANNO ab EWYCK,
Templi Mariani apud Ultraje-
ctinos Canonico, Parenti meo,
quoad vivam, filiali amore pro-
sequendo:

U T E T

Amplissimo, Consultissimoque Viro,

D. JODOCO ab EWYCK, I. V.
D. & in Curia hac Provinciali
causarum patrono peritissimo,
Patruo meo in æternum colen-
do:

Hasce studiorum primitias,

D D D.

J. ab EWYCK

Respond.

DISPUTATIO POLITICA
DE
Subditis Septimi Gradus,
Hoc est,
Agricolis & Pastoribus.

THE S I S I.



Rāinem Artificum & Opificum in Ordine
Subjectionis subexcipiunt Agricola & Pasto-
res, quorum Ordo peremtorius in Republicā be-
nē formatā, cūm ob alia, tum inter alia, quia
Naturalissimus, Antiquissimus, Pūssimus, sive
Innocentissimus & Honestissimus, Lucūdissimus,
Vtilissimus, ideoq; sexies septies Neeßarius.

I I.

Naturalissimus est hic Ordo: Quotiam ex naturā primitū in-
stituto, & non hominum. Aristotle lib. 1. Polit. cap. 10. Ec-
cūr? Quia enim magis secundum naturam est, ex terrā, quæ
mater & nutritrix nostra est, quam aliundē, nutritri, præsertim
cūm naturaliter cunctis à matre nutrimentum suppeditetur,
& ab ipso generationis initio omnibus rebus viventibus con-
cedatur, in primis autem hominis gratiā id factum sit, quem
natura tanquam perfectissimum animal intendit. Idem Ibidem.
Vnde pater vivendi hominibus ager indigetatur, & alma pa-
rens tellus, passim apud Poëtas, tam Græcos, quam Latinos.

I I I

Antiquissimus est hic Ordo: Quia præter naturam ortum
suum debet Saturno, qui primus Italos agriculturam e-
docuit, ferosquè homines, & rapto vivere assuetos, ad com-
positam vitam eduxit, debet Evandro, qui fruges in Græciā
primū italicis hominibus ostendit, serendique usum mon-

A z stra-

stravit; excolendæque terræ gratiâ primus boves in Italâ
junxit, debet Isidi, quæ tritici & hordei frumentum invenit,
debet Osiridi, qui frugum & hederæ culturam detexit, & pro-
pè Nysam vitis plantationem, sicuti Mercurius oleæ, Apollo
lauri. *Aurelia Victor de Orig. Gent. Rom. Diodorus Siculus lib. I.*
Biblioth. Hist. sect. 14. 15. 16. 17. Vt de Baccho & Cerere nihil
dicam, magnis numinibus, aut nominibus potius. Saturno
autem, Evandro, Isidi, Osiridi, Mercurio, Apollini? Immò Deo
ter optimo maximo, omnium rerum satori. Divina namque
natura dedit agros, ars verò humana ædificavit urbes, neque
unquam defuerunt agri in terris, sicut defuere urbes, quia fuit
tempus, cùm rura colerent homines, neque tamen urbem ha-
berent. *Varron lib. 3. de Re Rust.* Vt ita, cùm duæ sint vitæ, rustica
& urbana, antiquior multò urbanâ sit rustica: *Idem Ibidem:* Vt
quæ cum Adamo cœperit, generis humani *regnum*?

I V.

Piissimus, hoc est, Innocentissimus iuxta & Honestissimus est hic Ordo:
Quia in vitâ rusticâ multæ nre multæ dantur sensibiles virtutes,
nominatim humilitas, finita divitiarum appetitio, contemnus
honorum, animi simplicitas, frugalitas vitæ, virtus moderatio.
Aristoteles lib. 6. Polite. cap. 4. In rusticis siquidem moribus, in
vitâ arido, in horridâ hac incultâque vitâ, maleficia haud gi-
gnuntur: *Cicero pro Roscio Amerino:* Minimequé mala cogi-
tant, qui in agriculturæ occupati sunt studio. *Cato de Re Rust.*

Neque enim vita alia magis est libera, & initio carens,

Quam quæ relictis manibus campos amat;

Non illum avara mentis inflamat furor,

Non aura populi, & vulgus infidum bonis,

Non pestilens invidia, non fragilis favor. *Seneca.*

Vnde felicem prædicat Poëta Claudianus eum, qui propriis
ærum træsegit in arvis, & alter Poëta fortunatos nimium, sua
si bona nōrint, agricolas! Poëta autē? Immò ipse augur Apollo,
cujus oraculo Mylon quidam ἀγαθὸς dictus, uti & aliis qui-
dam Plophidius nomine, *dicitur*, quod ambo vitæ rusticæ

de-

dediscent operam, cui sanctissimi nobilissimique viri studuerunt, patriarchæ, inquam, & Romæ principes viri, Cincinnati, Fabricii, Serrani, Catones, Stolones, Cicerones, Lentuli, Pisones, Fabii, Curii, Coruncani, Fabricii, aliquique triumphales homines, quos inter aratra vixisse, depositisque in gremio Capitolini Iovis laureis rusticatos esse accepimus. Quorundam olim sceptra in aratri formam effigiata leguntur. *Latinus Pacatus Drep. Paneg. cap. 9.* *Iunius quest. Polit. 61.* *Timplerus lib. 5. Polit. cap. 5. q. 15.* Neq; ex aliâ causâ domi quandam probro datum civi Romano, si quo calu à rusticis tribubus ad urbanas transiisset, è rure ad urbem. *Alexander ab Alexandro lib. 3. gen. dier. cap. 11.* Scilicet in agris vita innocentior, & mores puriores, quam in urbe. Ut enim flumina per se dulcia, cùm in mare venerint, salsescunt: sic homines haud mali, ex agris in urbem redacti, tactu inquinantur & mistione. *Lipsius Cent. 1. ep. ep. 8.* Quo intuitu easci Romani, virum bonum cùm laudabant, eum ita laudabant: Bonum agricolam, bonumque colonum: Amplissimeque laudari existimabatur, qui ita laudabatur, eò quod justissima possessio hominibus foret ager, agriculturæque redditus essent innocentissimi, terrâ multo cum scenore reddente, quod accepit, idque honeste, & sine dedecore. *Cato lib. de Re Rust. cap. 1.*

V.

Strenuissimus est hic Ordo: Quia agricolæ sub-dio & in labore nutriuntur, sunt solis patientes, negligentes umbrarum, balaenarum nescii, ignari deliciatum, simplicis animi, parvo contenti, duratis ad omnem laborum tolerantium membris. Vegetius lib. 1. Rei Mil. cap. 3. Indurat indurat, siquidē agricultura corpora hominum, neque mutila efficit, sicut officina verum talia, que foris excubare valeat, laboremque ferre, & pericula adire, ut quorum possessiones sint extra munitiones. *Aristoteles lib. 6. Polit. cap. 4.* Scilicet durities in milite maxime commendatur, hec autem in agricolis, qui fudo & udo cœlo apti, ad omnes labores impigri, quibus famæ pro condimento, na-

Aurcium pro cibo, humus pro cubili, arbustum pro tabernaculo. *Besoldus Dissert. Philolog. de arte iureque belli, cap. 2. num. 8.*

V I.

Vtilissimus est hic Ordo: Quia non solum cultus & ornatus plerisque vite ab agris, sed vita ipsa: Agricolatio moriatur, & simul humanum genus. *Lipsius Cent. 1. ep. ep. 8.* Quam in rem sic Cicero: Semper semper boni assiduique agricola referta cella vinaria olearia & penuaria est, villaque tota locuples abundat porco, hædo, agno, gallinâ, lacte, caseo, melle. *De Senect. Istorum leges Romuleæ vetabant rusticos avocari ab operis, octoqué dies culturæ agrorum impendebant, nonum verò urbanis & nundinis.* *Alexander ab Alexandro genial. dier. lib. 3. cap. 11.* Apud eosdem Romanos censorum ideo primum fuit, agrum male colere, aut minus arare, quam vertere. *Plinius lib. 18. Hist. Nat. Varro lib. 2. de re rust. in praef.* Tanti fecerunt studium agriculturæ!

V I I.

Iucundissimus quoq; etiam est hic Ordo: Neque enim segetibus solum, & pratis, & vineis, & arbustis, res rusticæ lœtæ sunt, sed pomariis etiam, & hortis, tum pecudum pastu, & apum examinibus, tum florum omnium varietate, neque consititutio-nes modò delectant, sed etiam insistiones, quibus nihil inventit agricultura solerti. *Cicero de Senect.* Vnde voluptates agricolarum ad sapientis vitam quam proximè accedere vide-
tur. Eaque re commoti heroës viram in atris exegerunt. Sane Hercules suâ manu quercus levissile perhibetur, Cyrus in quin-
cuncem dispositissime arbores. Ut Diocletianum, Attalum Per-
gamenum, M. Valerium Corvinum, Masinissam, Scipionem,
silentii sapientis involvam. *Schonbor. lib. 3. Polist. c. 46.* Vique adeò Tempus in agrorum cultu consumere dulce! *Ovid. 2. de Pont. el. 7.* Et cur non? Ut enim generosas feras cavea domat & frangit, sic altas mentes urbicus ille carcer: Equum ad cursum apertus & liber circus provocat, animum ad libertatem vacans vagansque aura. *Lipsius Cent. 1. ep. ep. 8.*

De-

V I I I.

Deniq; Summe Necessarius est hic Ordo, cùm sine agricolis nulla consistere aut conservari Respublica possit. Aristoteles lib. I. Polit. cap. 5. Alimenta namque sunt necessaria Republicæ, hęc autem agricultorū suppeditat, uti & vestimenta. Idem ibidem. Scilicet omnes reliquæ artes benēhabent, cùm terra benē colitur, jacent, cùm terra neglecta jacet. Xenophon in Oecon. Cujus colendę artem propterea Plato, cùm institueret, quemadmodum civitas benē beatè habitari posset, imprimis necessariam esse duxit. Ut breve faciam: Evidem haud scio cum Cicerone, vitā rusticā an ulla vita beatior esse possit, non solum officio, quo hominum generi universo cultura agrorum est salutaris, sed & delectatione, & saturitate, copiāquę omnium rerum, quae ad cultum hominum, & cultum Deorum pertinent. Dialog. de Senect. Dicamus nos sanè Dei, Christianissantes, non Ciceroniantes.

I X.

Contra Agricolomastigas, qui totum ordinem ruris stresem ex Republicā proscribunt, cùm ob alias, tum ob sequentes rationes. I. Quia res rustica sit lordidum opus, & nullius præceptoris magisterio egens: Columella lib. I. de Re Rust. : Aliena ab omni politiore elegantiā: Cicero 3. de Fin. Tum infinita. Serendum siquidem hīc, ut metas, & metendum, ut seras, absurdō rei circuitu. Stobaeus ex Favorino Serm. 55. 11. Quia mendax, ut quam res incertissimā venti tempestatesque moderentur, quæquę spe magis, & jucunditate quādam, quām fructu atq; emolumento teneatur. Erenim ad incertum casum & eventum certus quotannis labos, & certus sumtus impenditur, annona verò precium, nisi in calamitate fructuum, non habet, si autem ubertas in percipiendis fructibus, tunc consequitur vilitas in vendendis, ut malè vendendum intelligas, si processit, aut malè perceptos fructus, si recte licet vendere. Cicero Verrinā. 5. III. Quia totum genus agricolarum iopeiā, tum sanè quām querulum. Modò enim siccitatēm

de-

deplorant, modò imbres, modò uredinem, modò calorem
intempestivum, modò frigus. *Plato in e Axiacho.* Qualis ille
apud Simocattum, qui sic de se & suo ordine quiritabundus,
immò minitabundus : Nihil nihil in rerum natura miseriis
agricolis, etiam venti nos infelices tyrannide premunt, perdit
nos Auster, spicas mihi ad nihilum redegit, vites perdidit, & u-
vas corrupit, atq; in judicium trahere non possum auctorem
injuriaz. Propterea falcam & sarculum auferam, atque scutum
galeam gladiumquè in eorum locum capiam, miles siam, &
arte mutatà fortunam circumscribam. Nec non aliis, apud
eundem, quem sic inducit loquentem : Civiles tempestates
fugiens rus hic precio conduxi, sed in majora conjectus sum.
Modò enim frumenti putredinem hostem habeo, modò loc-
ustas, aliás etiam grandinem, p ruinā fruges perdit ac vastat,
ut inexorabilis tyrannus, & sudores meos infelix ventis lar-
gior. Heu misero mihi! Quò me vertam? *Ep. 79. ¶ 41.*

X.

Sed quis non videt, vitia agricolarum conjici in agricultu-
ram, ipsam naturam accusitari, perquè ejus latus peti Deum,
naturę autorem, peti Imperatores & Reges, Dei vicarios, qui
ordinem hunc variis privilegiis muniverunt, quæ ex scrinio
Iuris compilavit Renatus Choppinus, & justo volumine per-
secutus est, quò lectorem remitto. Sunt enim pleraque o-
mnia Iuridicæ, & supra captum Philosophicum.

X I.

Ad Agricolas etiam refero Pastores, qui secundum Aristote-
lem quasi vivam exercent agriculturam, dum sectatūr pecu-
des, locum subindè ob pascua mutantes *Lib. 1. Polit. cap. 8.*
Quorum ordo probatur. 1. Quia vita pastoritia ab ipsâ natu-
râ est instituta atque introducta. Versatur enim circa alimen-
tum & ipsa, quod ab ipso generationis initio oīnibus viven-
tibus natura concessit. 11. Quia antiquissima, & agriculturæ
coæva. Ante inventionem namquæ pecuniæ hominum di-
vitæ constiterunt, in pecudum numero. Vnde, cùm à se-
ne

ne Catone quæreretur, quid maximè in re familiaris expedit? Respondit: Benè pascere. Quid secundum? Satis benè pasc re. Quid tertium? Benè vestire, aut vitire. Quid quartum? Arare, Cicero 2. Off. 111. Quia sanctissimi quique & Deo gratissimi homines vitam pastoritiam lectati sunt, locumque huic hominum generi inter cives in suâ Republicâ dederunt ferè omnes legislatores ob studii utilitatem, & necessitatem peremtoriam.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

1. **E** Thica non est scientia.
2. **E** Omnia appetunt bonum.
3. Non datur in hac vita summum bonum.
4. Causa virtutis moralis est consuetudo.
5. Homo est libero arbitrio præditus.
6. Licet uti stratagematis & antistratagematis.
7. Sed non item mendaciis.
8. Imperium Romanum jure est translatum ad Germanos.
9. Imperium hoc Germanicum nec est purè Monarchicum, nec purè Aristocraticum, sed mixtum.
10. Principes Electores sunt dignitate regibus pares? Aff.
11. Nobilitas non est figuratum, sed habet fundamentum in re.

F I N I S.

Ad ingeniosissimum Iuvenem,

J O A N N E M a b E W Y C

O Felix Juvenis, tu nimium capax,
Qui nunc eloquio bella politica,
Exercere studes? non trepidâ manu
Certaturis eris, si tibi palma sit,
Virtus nobilium, quæ dominos vehit,
Ad castella Deum: nunc animis opus,
Ut tu Palladias fortiter occupies
Aras thuriferas; non sine gloria
Tantovictor ovans, ibis ab agmine
Si Martis [minimo vulnere faucius]
Ingentes valeas frangere machinas,
Atque hostem solidæ mentis acumine
Deturbare tuo? nil super est mali,
Oro ne timeas, dulce periculum.
Nemo belligeris te prior artibus,
Nemo te ingenii viribus aptior,
Hector solus eris, non imitabilis,
Pergas, sic proavos tollere honoribus,
Atque ornare patrum stemmata laudibus.

Amico meo singulari,

Posui.

G. MULOCK.